

ægrè meientes atque calculosos. Suspiriosis itidem lienosisque prodest. Quin & maculas tollit è facie, à sole vftis medetur, & cutem erugat, admixtum melli, lilij radici, ac cyprino rosaceo cerato. Hebetem etiam oculorum aciem emendat: denique vlcera quoque manantia & furfures cum vino expurgat.

*De Balanino oleo.* CAP. XL.

Simili modo fit & oleum balainum. Vim autem habet repurgandi maculas, lentigines, varos & cicatricum nigratas. Purgat idem aluum, sed stomacho aduersatur. Contra dolores aurium, sonos atque tinnitus auxilio est, cum anserino adipe infusum.

*De oleis Sesamino & Caryino.*

CAP. XLI.

Eodem quoque, quo antedicta, modo Sesaminum oleum ex sesama præparatur: itemque Caryinum, quod è iuglandibus nucibus conficitur. Eisdem verò cum balanino vires obtinent.

*De Hyoscyamino oleo.* CAP. XLII.

Hyoscyaminum autem sic præparatur: Semen ipsum album, siccum, recens accipito, & contusum aqua calida subigit, veluti in amygdalino dictum est. Dum verò inflabis, arescentes eius quæ sub manu sunt hoc

[hoc est, superiores] partes toti massæ permisceto. Id ipsum tandem facito, dum nigrescat graueolensque reddatur: mox per linteolum percolatum & expressum reponito.

Ad aurium dolores est efficax: pessisque amissetur, emolliendo vtile.

*De Gnidico oleo.* CAP. XLIII.

Similiter etiam paratur quod ex Gnidio gano fit oleum, decorticato semine atque contuso. Potum ad aluum soluendi vim habet.

*De Cnicino oleo.* CAP. XLIIIIT.

Eodem quoque modo Cnicinum oleum conficitur. Vis autem eadem quæ Gnidico, sed remissior.

*De Raphanino oleo.* CAP. XLV.

Raphaninum ex ipso fit raphani semine, quemadmodum & reliqua. Iis qui ex mala valetudine phthiriases contraxere conuenit, scabritiasque cutis in facie emendat. Eo vtuntur Ægyptij, vna cum obsoniis ipsum coquentes.

*De Melanthino oleo.* CAP. XLVI.

Melanthinum easdem cum raphanino vires, consimilēmque præparationem, sortitur.

*De Sinapino oleo.* CAP. XLVII.

Sinapinum fit ad leuorem trito Sinapis semine & aqua calida macerato, adiecto

postea oleo ac simul expresso. Facit ad dolores diuturnos, dum ipsa vitia exalte extrahit.

*De Myrtino oleo.*

C A P . X L V I I I .

Myrtei olei præparandi ratio hæc est: Myrti nigræ seu sylvestris seu satiuæ tenerima quæque folia tundito atque exprimito, succo deinde omphacini olei parè mensuram admisceto, & ad prunas calfacito, donec simul cocta fuerint, tollens id quod supernatat. Euerit vero minus operosa confectione, si foliorum mollissima contusa in aqua & oleo decoquas, & quod innatæ deradas: peculiari quoque modo, si exposita Soli folia in oleo maceres. Nec defunt qui oleum prius inspissent malicieorio, cupressio, cypero ac iūco odorato. Efficacius est quod gustu subamarum deprehenditur, oleolum, viride & translucidum cernitur, ac myrtum redolet. Vis porrò ei astringendi & indurandi: quare efficaciter cicatricem obducen tibus medicamentis immiscetur. Facit quoque ad ambustiones, vlcera capitis manantia, furfures, papularum eruptiones, attrita, rhagadas, condylomata & laxatos articulos. Sudores compescit, ac denique ad omnia valet, quæ astrictionem densationemve desiderant.

*De*

*De Laurino oleo. CAP. X.LIX.*

Laurinum è drupis seu maturitate decidunt lauri baccis in aqua decoctis conficitur. Tum enim ex ambiente cortice pinguitudinem quandam exudant, quæ manibus prius expresso è tritis baccis succo conchis excipitur. Nonnulli verò ubi omphacatum oleum cypero, iuncu odorato & calamo prius inspissauerunt, tenera deinde lauri folia in id coniecta simul decoquunt. Sunt qui lauri baccas addant, dum iustus odor accesserit: alijs styracem & myrrham ammiscent. Porro ad eiusmodi olei confectionem optima est laurus montana & latifolia. Laurinum verò oleum excellit, quod recentis est, colore viride, amarissimum & acre. Vis ei excalfaciendi, emolliendi, spiracula venarum aperiendi, & lassitudines discutendi. Quin & malis neruorum omnibus, doloribus aurium ac destillationibus confert: renum verò vitio ex frigore contracto laborantibus illitus est præstantissimus, & maximè si quid aliud utilis. At potum idem, nauseosum est.

*De Lentiscino & Terebinthino.*

## C A P . L.

Lentiscinum verò similiter atque laurinum ex maturo fructu confectum ac prius inspissatum, scabiem iumentorum canum-

que sanat. Pessis, ac opis & ad lepras tollendas accommodatis medicamentis apte & utiliter immiscetur: ac sudores etiam cohibet. Eodem quoque modo paratur Terebinthinum, quod exiecat & astringit.

*De Mastichino.* CAP. LI.

Mastichinum è trita mastiche paratur. Contra omnia vulvæ mala efficax est, leniter calfaciens, astringens simul & emolliens. Est & utile ad prominentes circa stomachum scirrhos, ut & ad cœliacorum dysenteriarumque cruciatus. Vitia quæ in facie sunt emenda, colorēmque meliorem præstat. Optimum verò in Chio insula componitur.

*De Vnguentorum compositione.*

CAP. LII.

**V** A N D O Q V I D E M vnguenta nonnullis affectibus accommodantur, partim medicamentis admixta, partim instillata seu perfusa, partim etiam naribus obiecta, consequens esse ducimus, ut horum quoque stationem persequamur. Eorum porrò periculum facientes obseruare oportet, an illud olfactui repräsentent, ex quo temperamentum ipsorum constat. Optimum siquidem est huiuscmodi iudicium. Attamen id in nonnullis locum non habet, propter vehementiorum quæ miscentur præualens domi-